

Atur. Nomina cuius à proprio munere tribuerūt. Nam Clío propter gloriam, quae ex poëtarum laudibus oritur, dictam uolunt. Euterpe, propter uoluptatem quae ab audientibus ex honesti eruditione percipitur. Thaliam, quod in longum tempus poëtarum laus parta uirescat. Melpomenē à melodía, qua audientes demulcentur. Terpsichorem, eo quod audientes oblectat propter bona quae proueniunt ex doctrina. Erato, quod docti homines ab omnibus amentur. Polymniā, quoniam cantus suauitate poëtas reddit gloria immortales. Vraniam, quod uiros erudit ad coelum tollat. Gloria enim ac sapientia eleuat animos ad cœlestium contemplationem. Calliope, quod cantus suauitate ceteras antecedens, magni ab auditoribus astimetur.

D E H E R C V L E , E T D V O D E C I M
eius laboribus, cæterisq; ab eo usq; ad uitæ finem
gestis. Cap. II.

Postequam de Musis retulī, nunc gesta Herculis recenseamus. Necq; uero me latet, magna in difficultate uerari tum ueterum rerum, tum præciuè operum Herculis scriptores. Ea enim fuisse amplitudine singuli fatentur, ut omnium quæ memoria hominum complexa est gesta, superare videatur. Difficile quippe est pro dignitate rerū eius acta scribere; atq; ea quæ tanta magnitudine extitere, ut immortale præmium mercantur, æqua factis oratione prosequi. Nam cum propter uetusatem admirationemq; rerum multi haud facile credentes scribentibus, necesse fuit in his quæ maxima habebantur, prætermittere quædam; ne omnia scribendo, historiæ parum fidei habere. Non nulli enim legentum haud recto iudicio uisi, nimis exquisite antiquas res ex his quæ nunc geruntur, perpendunt, astimantes Herculis uirtutem ex nostro rum hominum imbecillitate. Ita rerum gestarum nimia magnitudine moti, haudquaque historicis crediderunt. Verum in priscis illis rebus, ac fabulis similibus, non omnino ad quadrantem ueritas peruestiganda est. Etenim in theatris licet sciam Minotauri forma qua fertur, minime extitisse, nec tricornem Geryonem; tamen pro ueris eas fabulas ducimus, fauoreq; eius Dei honores augemus. Et sanè per iniquum uidetur, cum Hercules, dum uixit, orbis monstra suo labore perdomuerit, homines tantorum beneficiorū immenses, eius laudi claris operibus parta calumniando derahere; cumq; postea propter ipsius uirtutis excellentiam communis omnium consensu immortalitatem illi tribuerint, nos neq; traditam quoq; a patribus erga illum Deum pietatē seruare. Verum his posthabitatis, opera eius ab initio exponemus, tum poëtarum tum scriptorum antiquissimos imitati. Ex Danae Acrisij ac Ioue natum Persea ferunt: ex eo Andromedaq; Cephei Elecrysionem. Is deinceps sumpta Eurydice Pelopis, Alcmenam procreauit. Hanc dolo Jupiter cum cognovisset, Herculem genuit. Hoc pacto Herculis paternum genus ad maximum referunt decorum. Eius uirtutem non solum ex operibus spectare licet, sed etiā ex genere. Iouem enim ferunt tribus noctibus in unā redactis Alcmenæ operam dedisse, maximum futuri roboris indicium, tantū temporis in eo puero creando impensum. Quod non amoris cupiditate, prout in alijs mulieribus contigit, factum est, sed pueri gignendi gratia. Itaq; nolens uia Alcmenæ aggredi, neq; fidens posse illi coitum, ob eius prudentiā, persuadere, dolo mulierem aggressus est, Amphitryonis forma assumpta. Adueniente partus tempore Iouem diis astantibus prædictis ferunt, ea die puerum qui nasceretur, se perfidiarum regem facturum. Quibus uerbis mota Iuno, Lucinam filiā iussit comprimere Alcmenæ partum, Eurystheum ante tempus in lucem educe re. Jupiter licet consilio frustratus, quod prædicterat, & Herculis famam claram esse uolens, dixisse lunonis fertur, permittere se Eurystheum, ut prædi-

Genealogia Herculis